

errum format acumen
nas obstrepit ore fre-
[mens.
ali murmure grates;
erminat iste iocus.
lum persolverat ante;
r hoc pretium.
lephantem, et motibus
[hisce
ra laboris habent.
dum carmine cuncta
[figurat,
hunc meruisse? Nihil!

osa

um dicunt satis divi-

satis multa iam re-

tuum gravi morbo
unc sese habet?
agnos animi angore

spes?...
Convaluit!

mata

scendere, Lector amice.
vestio luce polum.


bos; confortat edenda.
m luce atque calore.
eriore fasciculo pro-
t 1) *Suber, Rebus,*

IOSFOR.

RNARI, Sponsor.


VGLOTTIS VATICANIS.

ALMA ROMA



QVID QVID NON
POSSIDET ARMIS
RELLIGIONE
TENET

C. DEL VECCHIO



NUMMARIA MENSA ROMANA

(BANCO DI ROMA)

SOCIETAS ANONYMA EX SOLUTA SUMMA LIBELL. 150.000.000

Sedes caput et suprema gubernatio Romae in propriis aedibus

Corso Umberto I, N. 307 (Piazza S. Marcello)

Sedes filiae in Italia praeter 200

...

Sedes filiae apud exteras gentes:

In Gallia. - Parigi, Lione.

In Hispania. - Madrid, Barcellona, Tarragona, Montblanch, Botias Blancas, S. Coloma de Queralt, Valls.

In Helvetia. - Lugano, Chiasso.

In civitate libera Flumana. - Fiume.

In Aegypto. - Alessandria, Cairo, Porto Said, Mansourah, Mit Gamr, Tautah, Beni Mazar, Beni Souef, Fayoum, Magagha.

In Turcarum imperio. - Costantinopoli.

In Asia minore. - Smirne, Adalia.

In Syria. - Aleppo, Beyrouth, Damasco, Tripoli.

In Palaestina. - Gerusalemme, Caiffa, Giaffa.

In insula Melita. - Malta.

In Aegeo mari. - Rodi.

 Omnia pertractantur quae propria Mensae Nummariae sunt. 

Pro "ALMAE ROMAE,, Sociis

apud Commentarii Administratorem opuscula latine scripta venum dantur,
pretio quod sequitur:

JOSEPHI FORNARI **Communia vitae.** Phrases et formulae ad latina colloquia instituenda. - Fasc. I: *De salutatoriis formulis, De valetudine percontatio, Morbi, Medicamenta.* - Lib. 2,10.

JOSEPHI FORNARI **Fridianus** et **Francisculi prandium,** Milesiae fabulae scenis accommodatae apud ephebea facile agendis. - Singulæ lib. 1,50; ambae lib. 2,60.

HERMINII IACOBELLI **In campo latinitatis novi flores.** - Si tegumento solut. lib. 3; si xyлина structura aureoque titulo, lib. 4.

I. B. FRANCESIA **Euplius, Ad Romam,** Actiones dramaticae. - Singulæ lib. 1,50.

I. ANTONELLI-COSTAGGINI **Arrhae Gorgoniae,** Milesia fabula. - Lib. 1,50.

(*Iis vero qui extra Urbem hos libros mitti iubant, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,50 pro singulis exemplaribus.*)

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium annuae subnotationis est pro Italia libell. 12; pro Anglia shell. 12,50; pro Batavia flor. 7,50; pro Hispania peset. 15; pro Graecia drachm. 15; pro Civitatibus Foederatis Americae septentrionalis et Canada doll. 3; pro Gallia, Helvetia, Belgica ceterisque universi orbis nationibus franc. 15 *ante solvendum rectoque tramite mittendum ad JOSEPHUM FORNARI doctorem, Romam, 12, Via del Governo Vecchio, 96.*



PRO PUELLARUM INSTITUTIONE

Marcus Galdi Iosepho Fornari, ALMAE ROMAE moderatori, s. p. d.

Quae nuper in tuo Commentario, eleganti stilo exarata et suavissimo religiosi sensu perfusa, clarissimus ille vir Felix Ramorino conscripsit,¹ legi et eius sententiae toto animo adstipulor. Tanti enim nominis auctoritate tantique conatus pondere haud dubium est quin res prospera succedat.

Quum tot undique simul ingruant minae, quum tot occultis insidiis petamur et in dies errorum tenebrae densiores oboriantur ita ut per difficile sit viam vitae persequi, nulla alia lux nisi quae manata Christi religione fulgidissima potest te nebras discindere, nulla alia arma validius possunt nos tutari et occultorum hostium insidias repellere, nisi quae catholica fides aptissima nobis comparavit. Sequitur ut omni ope atque opera contendendum sit ut divina doctrina instauretur, quae superioribus saeculis tot uberrimos fructus edit, quaque clarissima ingenia nutrita et confirmata, permiras virtutes animi expli-

carunt et fidei caritatisque suae insignia monumenta reliquerunt. Qua divina doctrina instaurata, et Christi religione promota ac diffusa, huius saeculi mores tam perditii corrigentur, et ipsa vitae fundamenta velut ex novo constituentur; quoniam, ut est in epistula Pauli ad Romanos: *si Deus pro nobis, quis contra nos?* Quidquid autem a catholicae disciplinae sectatoribus tentatur, quidquid in scholis cuiuscumque ordinis experimenta agit de divini Evangelii praeceptis in animis adolescentium insculpendis, laeto omne accipiatur, ut novorum temporum, novique rerum ordinis signum! Et bene illis sodaliciis quae iuventuti variis disciplinis litterisque incumbenti pietatem erga Deum instillent! Vivant et fecundiore vita prosparent sodalitates quotquot Christi vexillo proposito, persuasum sibi habeant, et ve lint aliis inculcare, nullum verum progressum in artibus ac doctrinis fieri posse, nullo modo humanam condicionem posse provehi in melius, si Christi religio seiungatur, artium sautrix et pacis artibus promovendis necessaria procuratrix.

At si bene adolescentibus Evangelii praecepta traduntur, si bene cum disciplinis litterisque tradendis eorum mentes ad catholicam fidem informantur, quo sint paratiiores ad impetum hostium propul-

¹ Cfr. fasc. mens. Maii MCMXXII, pag. 85.

sandum – et quam multi sunt hostes, simplicitati morum et integratati animi insidiantes! – nemo est quin videat quantum intersit puellas doctrina Christi imbuere et christiana fide corroborare. Multae enim insunt in puella facultates, quae si ad bonum directae, magnae erunt utilitati; si ad malum, idest mollitiam et luxuriam, sibi aliisque detimento. Praeceptis sanis instructa, et memor in suum caput tot rerum eventus recidere, mater natorum educationi praeerit, virtutis viam signabit et sua ipsius vestigia docebit eos tenere, praeterquam quod etiam alios iuvabit.

Ut est iam Bruxellis apud Belgas, in animo est quoque Florentiae Athenaeum quoddam creare et informare pueris omnium gentium instituendis « ubi congrua doctrina instructae, vel de magisterio docendi vel de liberali quodam artificio exercendo vel de adsistendo aegrotis utilem utcumque artem discant, sibi civibusque suis quandoque profuturam ». Nescio quid hoc proposito nobilius humaniusve excoigitari possit! vel quid utilius uberiusve! Nec solum Florentia iure civitatum flos dicitur, sed etiam omnium artium humanitatem foventium et mores perpolientium peridonea sedes appellanda est.

Augurari licet opinione ac desiderio ut undique convenienter puerae hoc Athenaeum instituendae, in quo variae disciplinae velut nova vi et afflato inspersae, nova luce fulgebunt, quippe quae veritate divini Evangelii collucentes. Tunc illud quod est in infimae latinitatis proverbio: *Culta puella nimis, casta puella minus*, hoc modo commutari et corrigi potest, quod omnis puerarum educatio, cui prae sit illa lux quae Christianae religionis praecepta comitatur, quamque Romana Ecclesia omni studio curat in orbem dif fundere, non cadit in irritum, non mores perturbat, sed mores ipsos puriores reddit.

Clarissimo autem viro Felici Ramo rino, qui est apud nos antesignanus et

columen huius instituendae superioris ordinis Scholae, qui se totum rei committens in hoc proposito perstabit, cui et auctoritas nominis et res ipsa incrementum afferent, omnium bene existimantium plausus sit et acclamatio. Quod si non deerunt qui eius conatui studioque opponantur, *quam utile erit, ad usum secundorum per adversa venisse!*

Tuque, Iosephe Fornari, *Almae Romae* moderator, haec mea qualiacumque, si credis, in tuum Commentarium, latinitatis ac religionis praeconium, accipe publicanda. Vale.

Datum Neapoli VII kal. Iunias MCMXXIL

DE POËTARUM ELEGACORUM COMPARATIONIBUS¹

Eloquentia.

Eloquentia bis invenitur in Ovidii comparationibus. In *Arte Am.*, (I, 461): *Quam populus iudexque gravis lectusque senatus, tam dabit eloquio victa puella manus.* Et *Trist.*, (II, 273): *Discitur, innocuas ut agat, facundia, causas, protegit haec sonentes immeritosque premit.*

Qui est apud VERGILIUM locus (*Aen.*, I, 148):

Ac veluti magno in populo cum saepe coorta est seditione saevitque animis ignobile volgus, tamque faces et saxa volant – furor arma ministratum, pietate gravem ac meritis si forte virum quem conspexere, silent arrectisque auribus adstant, ille regit dictis animos et pectora mulcet,

non tam facundiam viri laudat, quam auctoritatem. Hic quum Vergilius imaginem plebis seditionis adhibuerit, ut maris furores describeret, ad plebis mutabilem

¹ Cfr. fasc. mens Aprilis.

animum illustrandum maris imagine usus est Auctor fr. ad Bergk. 23:

δῆμος ἄστατον κακόν
καὶ θαλάσση πανθ' ὄμοιον ἥπ' ἀνέμου ῥιπίζεται
καὶ γαληνὸς ἦν τύχη, πρὸς πνεῦμα βραχὺ κορύστης
[στεται]
κήν τις αἰτία γένηται, τὸν πολίτην κατέπιεν.

Ars medica.

Quod apud HORATIUM (C., II, 14):

Crescit indulgens sibi dirus hydrops
nec sitim pellit nisi causa morbi
fugerit venis et aquosus alto
corpore languor,

ad exemplaria graeca formatum est. Ad hunc locum Kiessling quaedam e philosophis deprompta adnotavit.

OVIDIUS membra saucia eamque ob causam reformidantia animo suo comparat, qui in miseriis semper aliquid timeat (*Ex P.*, II, 7, 13). – De Aglauro sensim in saxum mutata hanc habet imaginem (*Met.*, II, 825): *Utque malum late solet immadicabile cancer serpere et illaesas vitiatis addere partes.* Medicinam perdere posse et sanare dicit (*Trist.*, II, 269): *Eripit interdum, modo dat medicina salutem.* Succis amaris eam opem ferre, contendit (*Am.*, III, 11, 8): *Saepe tulit lassis succus amarus opem;* cui dicto altera ex parte respondet (*Am.*, II, 19, 26): *Stomacho dulcis ut esca nocet.* Denique afferamus (*Ex P.*, I, 3, 10): *Ut solet infuso vena redire mero.*

Ars magica.

Quamvis saepe in poëtarum elegacorum carminibus nobis obversetur, in comparationibus haud frequens est ars magica. Habes THEOCR. (2, 48):

ἴππομανες φυτόν ἔστι παρ' Ἀρκάσι· τῷ δ' ἐπὶ^{πάσας}
καὶ πῶλοι μάνονται ἀν' ὄρεα καὶ θώαι ἵπποι·
ὦς καὶ Δέλφιν ἴδοιμι.

Cui addamus HORATIUM (C., I, 25, 14): *Quum tibi flagrans amor et libido, quae*

solet matres furiare equorum, saevit circa iecur ulcerosum. – OVIDIUS (*Met.*, IV, 832): *(Hic color) sub candore rubenti, cum frustra resonant aera auxiliaria lunaee.*

Ars musica.

Sonitum tibiae Moscus in carmine *Europa* quod inscribitur inepte comparat cum bovis mugitu (97): *Αὐτὰρ ὁ μειδίχιον μυκίσατο· φαίσκει αὐλὸν Μυγδονίου γλυκὺν ὥχον ἀνηπύοντος ἀκούειν.*

Fistulae formam OVIDIUS adhibet: (*Met.*, VIII, 1, 91): *Sic rustica quondam fistula disparibus paulatim surgit avenis;* et (*ibid.*, XII, 481) *Tympani sonitum aut si quis parvo feriat cava tympana saxo.*

Apud Priapeiorum auctores bis invenimus obscenam imaginem *cithara tensior* (VI, 5, LXVIII, 16).

Citharoedos, qui vel carcere clausi de libidinibus saltem cogitent, spectat (*LXXVII*, 13): *Nunc vitam perago – quis hoc putaret? – ut clusus citharoedus abstinentem.*

Ars pingendi.

Quod etiam apud nos saepe fit, ut facies per pulra quasi picta esse dicatur, exstat quidem apud veteres ut in AESCHYLI *Agamennone* (240): *Πρέπονος ὄπως ἐν γραφαῖς.* Poëtae elegaci autem certam formam semper spectaverunt. PROPERTIUS (I, 2, 22): *Sed facies aderat, nullis obnoxia gemmis, qualis Apelleis est color in tabulis.*

OVIDIUS (*Am.*, III, 2, 31): *Talia pinguntur succinctae crura Diana, cum sequitur fortes fortior ipsa feras.* Et (*Met.*, X, 515): *Qualia namque corpora nudorum tabula pinguntur Amorum, talis erat.*

Subiciamus hīc, quae de arte vestes tingendi imagines sunt in HORATIO (C., III, 5, 27): *Neque amissos colores lana refert medicata fuco;* et, si hunc locum hīc adferre licet, OVIDIUM (*Met.*, X, 595): *Haud alter, quam cum super atria velum candida purpureum simulatas inficit umbras.*

Ars statuaria.

Etiam statuae in comparationibus locum habent. THEOCR.TUS (22, 47): *Στήθεα δὲ ἐσφαιρώτῳ πελώρᾳ πλατὺν νῶτον σαρκὶ σιδηρεῖ, σφυρήλατος οὐα κολοσσός;* materiam spectat.

PROPERTIUS (III, 1, 21): *Ut caput in magnis ubi non est tangere signis, ponitur hic imos ante corona pedes, magnitudinem, certum genus statuarum.*

CATULLUS (64, 61): *Quem procul ex alga maestis Minois ocellis, saxea ut effigies Bacchantis prospicit.* Quam autem (81, 4) habet imaginem *inaurata pallidior statua* componere liceat cum THEOCRITI (2, 10): *Ἄλλ' ἐπάγην δαγύδι καλὸν χρόα πάντοθεν ἵσα,* quum ambo loci pallidum colorem specent.

OVIDIUS (*Met.*, 15, 169):

Utque novis facilis signatur cera figuris, nec manet ut fuerat, nec formas servat easdem, sed tamen ipsa eadem est, animam sic semper eandem esse sed in varias doceo migrare figuras;

suspicio, ut totum hunc locum, e philosophorum scriptis fluxisse.

(*Sequitur.*)

ALEXANDER AURELI.

De Septimo Centenario Archigymnasi Patavini

Patavium, celebris imprimis Titi Livii patria, in praesentiarum, incredibili ci-vium laetitia, diem Archigymnasi natalem, universis ordinibus adclamantibus, septies centenarium celebravit. Diversis sane rationibus illuc accurrunt ex omnibus dissitis civitatibus hospites, et ipse Italorum Rex, maxima virorum aulicorum

caterva stipatus, summis honoribus se contulit atque receptus fuit. Illud enim Atheneum sub diversis ac dissimilibus dominationis generibus originem sumpsit, et, brevi post tempore, crevit et floruit; atque adhibitis exteris doctoribus, gentis mores emollire est adgressum, et litteris potissimum politioribus palaestra patuit, a qua veluti a fonte, humanitatis rivuli in omnes Venetae ditionis partes manarent.

Priores huiusce instituti viri religiosi exsisterunt, qui litterarum causa et pietatis, pueros undique collectos publice alebant atque docebant.

Aedes vero rudiores primum atque rustico adparatu miseriiores, hīc aque illic instructae mox eo consilio atque ampliori forma in urbe adiectae ut in unum locum ad discip:inam convenienter.

Serius omnino ex ingenio praescriptoque Sansovini, magnum extruxerunt Colle-gium, et Scholas, additis conclavebus splendidiore cultu exornarunt, auctis magisteriis omnium disciplinarum doctoribus illud locupletarunt. Eo consilio curabant Primores Magni Archigymnasii rectores, praemiis maximis propositis ornamentisque, ut doctissimos undique viros ad docendum invitarent. Clarissimos doctores insuper ex universa Europa Patavium adventantes benigno hospitio excipiebant, eorumque conventum ad disciplinas artesque alumnorum provehendas in Archigymnasio celebrandum satagebant.

Litteras et doctrinas ad saeculi ratio-nes solerter exigere studebant, novisque in diem scientiae ordinibus additis, alumnorum civiumque commodo advigilabant magistri fortunandis alumnis potissimum nati. Atque ita rectius in diem, ordinatis magisteriis amplificatisque, optime de Patavino athenaeo meriti sunt Episcopi et in primis Pontifices Maximi, qui omni tempore nisi sunt ut lectissimi adolescentes in spem religionis eiusdemque romanae sapientiae publice edocerentur.

Dum vero opportunitatem nacti adoles-centes alacriori animo probata iam sibi studia excolunt, non omnes utique arri-piebant quae erudiebantur, neque eorum scripta ad veterem elegantiam reduce-bant. Uno verbo, neque omnes aequali-bus iuvare videbantur nec posteris incita-mento prodesse, immo vero inania captare per compita passim praedicabant, qui scholas Patavinas itarent, uno eo consilio ut doctores magnifice salutarentur.

Graphice hos ardelineos ineptosque dis-cipulos Franciscus Petrarca depinxit, id-que latine in dialogo: *De vera sapientia*. Iuvat eius ipsissima verba referre: « Ve-nit iuvenis stultus ad templum, doctoris insignia recepturus: praeceptores illum sui celebrant seu amore seu errore. Tu-met ille; vulgus stupet; applaudunt affi-nes et amici. Ipse iussus cathedram scan-dit, cuncta iam ex alto despiciens et nescio quid confusum murmurans. Tunc maio-res certatim ceu divina locutum laudibus ad caelum tollunt: tinniunt interim cam-panae, strepunt tubae, volant annuli, figun-tur oscula, vertici rotundum ac magistrale biretum apponitur. His peractis, descen-dit sapiens qui stultus ascenderat. Mira prorsus transformatio, nec Ovidio co-nita! »

Si quis a me petat quonam modo archigymnasium Patavinum per tot saecula nomine numeroque alumnorum percre-buerit, in promptu responsum est, hoc esse in primis adtribuendum curae studioque rectorum, quibus nihil antiquius erat, quam ut viros pietate insignes advocarent, quorum opere doctrina casta traderetur, patrumque religio incolumis servaretur. Hisce enim magistris munus quoque de-mandabant studiosae sobolis iis artibus formanda, quae ad humanitatem perti-nent.

Quo tempore Lutherana haeresis finiti-mas Venetorum ditionis regiones infec-rat, rectores, veriti ne forte in sua etiam

irrueret, summo opere adlaborabant, ut hanc disciplinæ pestem arcerent. Hisce potissimum rectorum artibus insignis athenaei Patavini in omnibus est pro-gressus referendus. Diu insuper noctu-que studebant, ut alumni litteris incum-berent, neque nimius aetati genioque indulgentes, tempus atque impensas per-derent. At, quod caput est, peritissimos uniuscuiusque scientiae magistros allicie-bant, quorum doctrina in alumnis expo-liendi uterentur. Satis sit memorare Galilaeum Galilei, qui per octodecim cir-citer annos astronomiam tradidit atque ingenii nitorem virtutibus cumulavit.

Ad haec, occasionem nactus, haud si-lentio praetereundum esse putabo insigne Seminarium, quod per tot saecula claris-simorum virorum laude maxime incla-ruit. Multis enim litteratorum hominum virtutibus floruit quod nec rerum publi-carum conversiones, neque sub externo dominatu peregrinatis studium litteris graecis atque latinis offecerunt. Faciolatus prae ceteris laudandus

Supra omnes aquilae qui volant instar aves!

Ei est inscriptio dicata: « Jacopo Facio-lati Patavino, quod latinam eloquentiam rhetoricae lenociniis lascivientem et specie recti decipientem animos ad pristinam veritatis et pulcritudinis normam redege-rit eique in patrio seminario templum et artem dicaverit ». Utrumque patrum mon-umentum ad studiorum incrementum patriaeque laudem in aevum perdure!

I. B. FRANCESIA.

Iuste alios reprehendit, qui non habet quod in se aliis reprehendat.

AUGUST., *In Psalm.*, V.

Pro virtuo virtus crimina saepe tulit.

OVID., *Art. Am.*, I.

SODALI SALESIANO
IOANNI BAPT. FRANCESIA
A SUSCEPTO SACERDOTIO
ANNUM EMENSO LX¹

*Hostiam caelo placitam, Ioannes,
immolas senis decies ab annis:
Centies gaudie, veterane Legis
Mysta novellae!*

*Mane vix orto, satiaris Esca,
quam caro Christi tibi praebet almam
atque vitali recrearis una*

Sanguine Christi.

*Hac satur mensa vegetusque, mirum
robur hausisti, pede quo volucri
semitam recti, iuvenis senexque,
semper obires.*

*Hinc et effluxit vigor ille mentis,
quo tot exantlas alacer labores,
tamque laudandos, hominum Deique
ductus amore.*

*Quin et infirmam tibi Christus Esca
roborat carnem; nec enim virentem
hanc tuam credas alio scatere
fonte senectam.*

*Vive per longum solidumque saeculum,
donec, ut servus bonus et fidelis,
praemium tandem capias tuorum
grande laborum!*

FRANC. X. REUSS.

¹ Die xiv huius mensis Iunii sexaginta exacti erunt anni, ex quo Nestor ille litterarum latinarum in Italia, Ioannes Baptista Francesia, sacerdotii primitias Deo libavit. Magistro clarissimo atque observandissimo, qui in ipsis huius fasciculi paginis alacris et virentis ingenii sui specimen edidit, gratulations et vota ex animo offerimus hoc carmine, quod venerandus alter latinitatis magister, omnium ALMAE ROMAE scriptorum nomine, ei dicavit.

EX BATAVIA

De certamine poëtico Hoeufftiano.

Accepimus, et libenter edimus: De quinquaginta cā minibus, quorum quattuor ad certamen an. MCMXXII admitti non poterant, quia eorum poëtae conditionibus in testamento Hoeufftiano constitutas non obtuperaverant, unum duobus exemplaribus ad nos perlatum erat, ita est pronuntiatum:

Decem carmina statim sunt seposita utpote quae publica luce plane indigna viderentur. Erant haec: *In Rufillae iras, De Christiana populorum pace summo nationum tribunali et Evangelio Christi servanda, Providum numen, In honorem Petri Aloysii Praenestini musicae principis, Ex vita Beatae Magdalene Sophiae Barat, Pro Italiae pace, De phantasmate poëtico et arte, In divum Aligherium carmen, Ab aīa patriae militis ignoti vox, De fabularum sapientia.*

Paulo meliora visa sunt, haudquaquam tamen tanto meliora ut recipi possent in volumen sumptibus legati edendum, novem haec: *Dulces horae, Italico militi ignoto, Pax in Christi praeceptis quaerenda, Vesana fames, Prometheus alter, Alcaei naufragium, Augustissimum sacramentum corporis et sanguinis D. N. Iesu Christi in vetustis cryptis allegoricis figuris designatum, Delia, Alceste.*

Post aliquam dubitationem etiam haec seposita sunt, licet laude non plane indigna sint visa. Sunt numero unum et viginti: *Pater Iacobus Marquettus S. I., Philippi secundi somnum, Benedicto XV P. M., Vibia Perpetua, Princeps pacis, Aligherius Virginem canenti, Velivolum, Maeccenas et Horatius, Humanae faces, Uxor, Humanitas, In Europae gentes, Miles ignotus, Mater militis ignoti, Andreius*

sive de polo explorando, *Mysticum iter.* Praesertim de hisce diu dubitatum est, esentne digna quae in volumen reciperen- tur: *Horologium, Nymphae Rhenanae, Ad Dantem, Aranea, Tryphaena.*

Restant quinque egregia carmina, e quibus carmini, quod inscribitur *Hegesias*, praemium aurum adiudicatum est. Cuius poëtam scidula aperta esse apparuit

HERMANNUM WELLER.

Praeterea sumptibus legati haec carmina in volumen recipientur, si eorum poëtae scidulae aperienda veniam dede- rint: *Magnus Pan, Sponsalia, Vergilius agello pulsus, Ecloga novissima.*

Ad novum certamen cives et peregrini invitantur his legibus, ut carmina Latina non ex alio sermone versa, nec prius edita argumentive privati, nec L versibus breviora, nitide et ignota iudicibus manu scripta ante kal. Ian. a. MCMXXII mittantur ad *het Bestuur der Koninklijke Akademie van Wetenschappen, Trippenhuis Amsterdam*, munita sententia, item inscribenda scidulae obsignatae, quae nomen et domicilium poëtae indicabit. Ceterum iudicibus gratum erit, si poëtae in transscribendo portable prelum Britannicum (*typewriter*) adhibuerint, ac si, quemadmodum in editionibus poëtarum fieri solet, sextum quemque versum numero insigniverint.

Praemium victoris erit nummus aureus quadringentorum florenorum. Carmen praemio ornatum sumptibus ex legato faciendis typis describetur eique subiungentur alia laude ornata, si scidulae aperienda venia dabitur. Id autem ante kal. Iul. proximas fieri debebit.

Exitus certaminis in conventu Ordinis mense Aprili pronuntiabitur, quo facto scidulae carminibus non probatis additae Vulcanio tradentur.

Amstelodami, die x m. Apr. MCMXXII.

C. VAN VOLLENHOVEN,
Ord. lit. acad. reg. praeses.

Hisce notitiis addere possumus, aucto- rem carminis magna laude ornati, cui titulus: *Vergilius agello pulsus* esse socium nostrum clarissimum FRANCISCUM SOFIA ALESSIO. Ei ob novum sibi partum hono- rem gratulamur ex animo, atque simul gratias referimus, quod pro sua humanitate idem carmen tradiderit per nostras paginas vulgandum.

A. R.

VERGILIUS AGELLO EXPULSUS

Carmen Francisci Sofia Alessio Radi- cenensis in certamine poëtico Hoeuff- tiano anni MCMXXI magna laude ornatum.

Mane novo roseis Aurora coloribus exit,
Ac resonant avium suavi virgulta canore:
Vergilius tandem pius expurgiscitur, atque
Iam linquit casulam paleis et arundine tex-

At matutino stillantia praedia rore
Aspicit, atque vigil campo laetatur aprico.
Iam redeunte die, simul alis undique galli
Plaudunt, et teneras ab ovilibus evocat ore
Pastor oves; distenta novo premit ubera lacte.

Iam querulis agni rogitant balatibus, atque
Absentem, foliis latitans, frondator amicam
Cantat, et upilio meditatur arundine musam.
Regulus hinc canit in silvis, passerculus illinc,
Hic merulae deserta colunt, acalanthis acutos
Vepres, atque polo volitat sublimis alauda.
Vergilius secum fruitur concentibus, atque
Iam mirans it qua redolent flaventia mella,

Dum glomerantur apes, et circum septa su-
[surrant.
Urbis miratur proprius consortia tecta,
Exiguas volucres, leges et foedera pacta.
Obnixa trudunt humeris frumenta per agros
Formicae, medioque cavo quaesita reponunt.

Mitis in apricis redolet vindemia campis,
Ac praebet cupido ferventia musta colono:
Consistit Vates veteris sub tegmine fagi,
Contemplatur agros; totam metitur ocellis
Planitem gaudens, sata laeta, boumque la-
[bores.

Illum mirantur catuli timidaeque capellae,
Et placido simul obtutu de sepe lacertae.
Idus iam referunt Octobres ecce Maroni
Natalem: natale solum bonus ille revisit,
Pergit et ad foveam, qua Mater constituit olim
Pondere tarda suo, mox est enixa puellum.
Lustrat herus studio recolens viridaria; nam-

[que
Dulces populeam virgam statuere parentes
Illic, quae mox et coalescere coepit, et omnes,
Ante satas, potuit stirpes aequare profecto.
Populus en multis foliis admurmurat alba,
Atque alias truncos supereminet usque su-

[perba.
Ecce casam petit, atque nitens in limine sistit
Vergilius, parvosque lares de more coronat.
Sit mora, sit requies, ac nobis transeat, in-

[quit,
Haec sine nube dies; nunc terga volutet asel-
[lus
In viridi prato: laticum libemus honorem,
Natalemque diem placeat celebrare decenter.
Purpureis mihi sparge roseis, Amarylli, pe-

[nates.
Ecce Amaryllis adest, et florum plena canistra
Affert, ac varias nectit studiosa corollas.
Uvidulam tum rore rosam casiamque recen-

[tem
Ponit et errantes hederas mollesque corym-
bos:
Iamque comas lauro viridanti cingit heriles,
Verbenas adolet pingues et ture vaporat
Mane domum: laeto silvae clamore resultant.
At multum latrat celsa de rupe Lycisca.
En veniunt socii: vigiles convivia servi

Laeta parant, qua fecundae bona procubat
[umbra
Vitis, et usque loquax pura fons murmurat
[unda.
In festis epulis Amaryllis blanda renidet,

Castaneasque nuces praebet dulcesque race-
[mos,

Et quae Vergilio servavit in arbore poma.
Iam statuunt calices, ac dulcia vina coronant
Delecti pueri, resonant et cantibus umbrae,
Dum manibus vernae quatunt argentea sistra.
Hic Amaryllis adest albo circumdata peplo:
At nivea nigri ludunt in fronte capilli,
Caeruleoque micant oculi, velut astra, nitore,
Atque decora genis roseis Venus ipsa videtur.
Ut iam Vergilius digitum bene sustulit, omnes
Conticuere: lyram sumit cantare parata,
Atque fides pulsans has fudit pectore voces

Huc novem dulces properent Camoenae:
Phoebe, qui gaudes fidibus canoris,
Pan, gregis custos, Dryadesque, festa
Luce venite.

Namque natalem Geniumque molli
Fronde laetantes colimus Maronis:
Vate pro dulci Superos precamur
Supplice voce.
Vidit in somnis Genetrix virentem
Laureum ramum nitidoque flore
Mox gravem truncum variisque pomis:
Omina fausta!

Rure florenti peperit puellum
In cava Mater fovea, nec ille
Ore vagitus dedit; at mamillis
Mitis adhaesit.
Populus frondens adolevit illic,
Ac brevi truncos superavit omnes:
Sacra nunc arbor viridante campo
Exstat ad auras.

Sic meus tandem Dominus Poëta
Floreat, cunctos superet canendo,
Possit ac semper redimire frontem
Fronde decora.

Ille tranquillus placidusque vivit
Inter agrestes, fovet atque rura,
Laudat et ramos oleae ferentem
Carmine Pacem.
Ille, qui blandas ciet ore voces,
Vivat in multis venerandus annos:
Phoebe, qui gaudes cithara, benignus
Annue votis.

Ut cecinit mulier fidibus modulata latinis,
Convivae simul adsurgunt, plauduntque fre-

[mentes.
Vergilius blanda gratatur voce puellae.

At Galatea dolens secreto culmine cuncta
Spectat, et agnoscit mutatum callida Vatem.
Scilicet invidia iam tum tabescere coepit,
Ac limis oculis Amaryllida torva tueri:
Mox procul in nemus umbriferum se prori-

[pit amens:
Interea leni modulantur arundine carmen,
Et varias miscent choreas per opaca locorum
Agricolae, simul et quatunt cava cymbala
[Matris.

Nox tenebrosa subit, suadentque silentia so-

[minum.

Crastina lux aderat, cum nuntius ecce repente

Tristis ab Urbe venit pandens edicta Maroni:
« Mense sequente suo procul ire iubetur

[agello».

Obstupuit simul ipse, simul percussa puella.

Hei mihi! cogor inops patrio decedere campo,

Exclamat Maro, mox mea praedia miles ha-

[bebit!

Saepe sinistra malum praedixit ab ilice cornix
Hoc nobis, simul et quercus Iovis ignibus

[icta.

Quid possint fidi tamen experiamur amici,
Ne timeas; feret auxilium mihi Pollio gra-

[tum:

Ipse petam Romam, tu nostra novalia serva.

Discedit Vates: Amaryllis sola per arva
Maeret, et exspectans luctu torquetur amaro.
Interea miles cultis exceedere fundis

Agricolas subigit, ferroque minatur iniquo.

Paupere sub tecto secum vigil illa volutat
Sortem Vergilii, lacrimisque madescit, et

[horret.

Hinc nullum segetis studium, nec rura co-

[lendi:

Infelix pendere sua sinit arbore poma,
Nec curat iam languentes in caespite flores:
Carduus et lolium tristi dominantur in agro.
At fontes sonitu foliisque loquacibus ipsae

[Pinus absentem revocant raucaeque palum-

[bes:

Usque gemit graviter secreta turtur ab ulmo.
Sacra tamen facit in silvis Amaryllis amica,
Succiduoque genu, dum surgit pallida luna,
Nunc memor attollit duplices ad sidera pal-

[mas.

Infelix luget per opaca silentia noctis,
Ac tacita pia mente Deos veneratur, et orat,
Ut tandem redeat Dominus cito sospite cursu.

Ecce November adest, nebulaeque cacumina

[tristes

Obducunt, et ager foliis spoliatur, et aret.

Mane suas Amaryllis oves agit aegra per

[arva,

Ac, vergente die, maerens ad septa reducit:

Ante focum sedet, ac flammis calefactat ahe-

[num.

Nox erat, et placida Vesper magalia luce

Lustrabat, casulam cum Vir pudibundus agre-

[stem

Intrat, et adridens palmis Amaryllida mulcet.

Excutitur mulier, puroque renidet ab igne,
Ac studiosa manus manibus comprehendit he-

[riles,

Oscula delibans. Blanditur amabilis aegrale
Vergilius: Mea rura manent, crepat: incipe

[cantus;

Nam clemens mea regna sinit retinere trium-

[vir,

Qui mihi semper erit Deus: illum turis honore

Usque colam: gaudete, boves, gaudete, ca-

[pellae.

Hic inter gelidos fontes humilesque myricas

In viridante toro carmen modularo avena.

Haec fatus placide requiescit nocte silenti.

Festa mane lares Amaryllis fronde coronat,
Farre pio suppplex veneratur Numina sancta.

At praeter solitum volucres dulcedine laetae

[pulli.

Tum surgit Vates, et dulcia rura revisit,
Rivos et nemus, ac gaudet modulari blonde,

Tum vero patulae recubans sub tegmine fagi

Tityrus agresti modulari arundine musam,

Ac resonare docet felix Amaryllida silvas.

At Domino fortuna ferox invidit habenti:

Iamque sinistra sedens nigra canit ilice cornix,

Triste malum! Iam fidus Hylax in limine
[latrat.
Ecce subit grandis, peditum comitate caterva,
Centurio: simul arma sonant caligaeque gre-
[gales.
Arrius: Hinc veteres, clamat, migrate coloni:
Haec mea sunt. Toto Vates expalluit ore;
Ac praebet ducis occurrens edicta potentis:
Haec, inquit, mihi restituit bonus arva trium-
[vir.
Barbarus: I procul, et campum mihi linque,
[reponit.
Sic fatus rapido collustrat fulgere Vatem:
Saevit atrox, furiit, insequitur, gladioque mi-
[natur.
Cessit, et in gelidam iactu se Publius undam
Tum dedit, ac fluvium potuit transire natatu.
Abditus in silvis latuit, fractusque resedit.
Heu! quantus dolor! heu! quantus stat pe-
[ctore luctus!
Omnia camporum de culmine prospicit amens
Aequora, iactatos profugos peditumque tu-
[multum.
Nam ferus agricolas patrio bellator agello
Expellit, gladioque tenet florentia culta.
Cuncti diffugiunt, et dulcia tecta relinquunt:
Ecce ferunt parvosque lares natosque tenellos
Matres, ac gemitus imo de pectore ducunt.
At si forte aliquid potuit subducere campis,
Cedens mnemosynon secum fert dulce colo-
[nus.
Respicit extremum trepidus praesepia pastor,
Ingemit incassum lacrimans, loca grata sa-
[lutat,
Atque foveat gremio, sortem miseratus iniquam,
Agnum, qui queritur depulsus ab ubere matris.
Non saliunt simae per pabula laeta capellae,
Non canit aeria recubans sub rupe bubulcus:
Proh dolor! immani miscentur turbine campi,
Strataque plausta iacent passim curvique
[ligones,
Ecce per areolas demisso vertice flores
Squalent, atque subit spinis paliurus acutis:
At quandoque cadunt putres ex arbore bacae.
Impius en miles pueris senibusque minatur,
Ut citius fugiant: resonant lamenta per agros.

Jamque vocant querulis matrem vagitus
[almam
Infantes, frustraque petunt exhausta tenelli
Ubera. Nunc inopes herbis pascuntur amaris,
Infelix mater, fundis detrusa paternis,
Parturit in paleis, nec habet paupercula cunas.
Omnia Vergilius videt, et miseratur agrestes:
Usque dolet, palmisque premit cor perditus,
Collibus et silvis haec solus denique iactat:
O patriae fines, o dulcia rura, valete,
Errantes passim pecudes oviumque magistri,
Et vos arguto resonantes gutture cycni,
Hic ubi florentes praetexit arundine ripas
Flumen, et alternis dixerunt rite Camoenae.
Edidit in lucem genetrix connixa puellum
Hic me: vitales captavi collibus auras.
O rigui fontes et laeti gramine rivi,
Saepe modos gelidam querulos docuistis ad
[umbram.
Hic ego silvestrem tenui meditabar avena
Musam: fonticulus murmur disperget inane:
Qui novit raucum sonitum balbamque quere-
[lam
Mox aberit. Quoties hilari certamina cantu
Pastorum vidi recubans sub tegmine fagi,
Ac potui prudens magnas componere lites.
Atque iugo placuit validos submittere tauros,
Et versare solum rastris validoque bidente.
Hic colui quondam longo vigil ordine vites,
Et pingues oleas tumulis in mollibus, atque
Autumno legi tenera lanugine mala.
At tibi, flava Ceres, suspendi spicae sertar,
Plenaque libavi laetus tibi pocula, Bacche,
Ac cecini placidus dulces Amaryllidis ignes:
Scilicet ante focum tecum, spirantibus Austris,
Adstabam noctu vigilans, mea blanda puella,
Tu mihi castaneas et mitia poma dedisti:
Stamina duxisti cantu solata laborem.
Quid faciam? Macer est raptus mihi rursus
[agellus.
Linquere cogor inops, viridanti caespite te-
[ctam
Nunc casulam, frustraque vocant me' questi-
[bus agni,
Quos herbis alui teneris et pectore fovi.

Proh dolor! agrestis pubes, miserabile vulgus,
Silvis excedit, patriamque relinquit amatam,
Atque alio migrans gelidas contendit ad Ar-
[ctos,
Corde vel invito sitientes devenit Afros.
Barbarus has pecudes et praediamiles habebit?
Finibus expulsus patriis mox exul abibo?
Quale nefas! rapuit discordia cuncta colonis:
O utinam redeant desertis robora silvis,
Instrumenta probi cultores rustica tandem
Accipiant, multoque colant sua rura labore.
Di, satis est nostris Mavors bacchatus in
[agris,
Ac desolatas perfudit sanguine terras.
Nunc, precor, in propriis miseros defendite
[glebis
Agricolas, duroque casas a milite tandem.
Mortales saturare fimo, non sanguine terram,
Triticeamque velint sulcis conquerere messem.
Olim si qua viam dederit fortuna, libenter
Vomeribus simul et duris exercita rastris
Arva canam; segetes agri cultusque docebo.
Sit pax, et requies et amor: mihi vita supersit:
O utinam redeat divini gloria ruris;
Fiat magna parens frugum Saturnia tellus.
Agricolas sua felices bona nosse iuvabit,
Exercere solum bobus natale paternis,
Ac tenera placidam cum coniuge ducere vitam.
O iterum niteant mihi culta novalia tandem,
Ac plenis spumet mitis vindemia labris.
Vere novo mihi mella ferant examina ruris:
Vivant, sicut apes, homines per mutua nexi:
Vosque meas, dulces Charites, audite que-
[relas,
At nolite pati lacrimas vanescere nostras,
In patriam vestrum deducite rite poëtam.
Illic et Pario ponam de marmore templum
Vobis, paciferae foliis redimitus olivae
Dona feram, Numenque pius venerabor ad
[aram.
Nunc quo me referam? Quali spe denique
[nitar?
Ipse petam rursum vagus altae moenia Romae:
Vare, tuum nomen (superet modo Mantua
[nobis),
Mox referam sublime canens ad sidera: spero

Nunc bene: sed nigrae resonant mihi flebile
[silvae.
Dixerat, et luco maerentia lumina figit:
Ad Dominum currit lacrimans Amarillys, et
[infit:
O here, miles atrox iam te dare terga subegit;
Me miseram cum matre pia detrusit agello:
Nunc moribunda iacet genetrix in stramine
[duro
Tu, quaeso, fer opem, matris miserere cubantis
Pallet ad haec Vates, casu percussus iniquo,
Perque nemus sequitur lugens Amaryllida,
[iamque
Agram cernit anum rigida sub sepe iacentem:
Iam sudor gelidus languenti corpore manat;
Ecce vocat mater moriens Amaryllida natam,
Mox caput infelix, anima fugiente, reclinat!
Flebilis, extremus si quis tum spiritus erret,
Ore legit, saevoque gemit devicta dolore
Filia: Vergilius singultus fundit anhelus,
Ac maerens lacrimis illis simul aggemit Echo.
Vili plostello spoliatum lumine corpus
Ecce vehunt ambo, condunt et rite sepulcro.
Mox Amaryllis inops: Tulimus suprema, ge-
[mascit,
Defunctae matri: Quid iam mihi denique
[restat?
Amisi primo genitorem flore iuventae,
Dein bona cuncta mihi rapuit fortuna maligna;
Finibus expellor patriis; mox sola manebo.
Quis bonus excipiet? Quis me solabitur orbam?
O here, tu miserere mei, defende pudorem:
Si bene quid de te merui, ne desere fidam:
Iam didici tenues percurrere pectine telas,
Atque animos mulcere lyra modulisque canoris:
Te sequar usque libens, fatum quo cumque
[vocabit,
Aerumnas tecum patiar, materque paterque
Tu mihi semper eris: consternere veste cubile,
Atque pedes potero gelida profundere lympha.
Dixerat, et lacrimis dulces irrorat ocellos,
Vergiliusque pius miserae blanditur, et haeret
Amplexu in placido, maestaeque dat oscula
[maestus.
Nunc mecum venias, inquit, quo cumque vo-
[cabit

Fatum: nunc sortem simul experiamur, eamus. Dixit, et ire parat tandem festinus in Urbem: Ipse parens oculis captus, geminique sequuntur Fratres, quos patrio migrare coëgit agello Miles: at extremum sua dulcia respicit arva Vergilius, lacrimisque rigat manantibus ora. Iam congesta procul villarum caespite tecta. Fumant: in campis hoedi timidaeque capellae Usque vocant Dominum tremulis balatibus fatique Grex avium queritur, simul et miseratur euntem.

COMMUNIA VITAE

De officiis.¹

— Quem autem testamenti exequendi curatorem (administrum) scripsit? — Testamenti procurationi quem praefecit (praeposuit)?

— Sempronium.

— Homo quidem Sempronius est cuiusvis negotii strenuus minister (fortis et sciens curator; homo in rebus agendis acer et industrius; animi praesentis et manu promptus homo).

Quomodo defuncto parentavit (parentatus est)? — Quo ritu defuncti exequias celebravit (solvit; persolvit)? — Quae funera (iusta) fecit (peregit)? — Quibus exequiis mortuum honestavit (prosequutus est)? — Quae suprema ei solvit? — Virum pro dignitate sua certe sepelivit.

— Cadaver balsamo condit (linivit; oblinivit; medicavit; imbuit). — Demortui corpus condit (contra tabem condimentis arefecit; medicamentis procuravit; aromatibus medicatus est; medicavit; duravit; praemunivit; prohibendae tabi medicamentis curavit); deinde sollemnes inferias

solvit (sollemni funere extulit; mortuo sollempne funus curavit; sollemnia parentalia peregit) consanguineis et amicis ad exequias undique convocatis (ad pompam funebrem invitatis). — Funebrem pompam procuravit cum honorario comitatu multo (cum multis funeris assecutoribus; deductoribus).

Funus ei amplum faciendum curavit. — Dedit operam ut funere ample (magnifico; honorifico) efferretur (ut dignis exequiis honestaretur). — Exequiis eum honorifice (honorifica sepultura) prosequutus est (sepelivit; tumulo mandavit), oratione funebri habita (eius vita amantissime descripta; eius factis oratione celebratis; laudibus ornatis; laudum praeconiis elatis; laudum prædicationibus illustratis omni iudicium genere defuncto publice decorato).

— Atqui Titius sua tutelae non est (sua sponte non est). Quem ei tutorem attribuit? — E tutela nondum excessit (exiit; abiit; suam in tutelam nondum pervenit; sua tutelae [sua aetatis] nondum factus est; aetatis legitimae [iustae] non factus est); quem ei tutorem assignavit (dedit; constituit; instituit)?

— Tutelam administrabit (exercebit; geret; curabit) Sempronius. — Pupillo tutor praeerit (pupilli tutelam geret) Sempronius; qui pro sua diligentia impuberis res dispensabit (administrabit; moderabitur).

— Titium haereditate aspersit (in haereditatis partem vocavit); altera pars cessit Caio; maligna et minima portio mihi evenit (attributa est).

— At fortasse tibi consanguineo Titius sive Caius ex sua utriusque parte aliquid tibi vel ad tempus concedent (ius haereditatis tibi transcriptent).

— Quinimo sine cretione (nullius creationis conditione interposita; nulla delibrandi conditione) haereditatem creverunt atque adiverunt; nulla interiecta creationis

lege acceperunt. — Nullo sumpto ad cernendum die, uterque partem sorte datam sibi admisit.

— Iure igitur ii lugubria induent (vestis mutatione luctum suum ad dolorem declarabunt, moestitiae insignia inferent; lugubrem vestem sument; veste lugubri vestientur), neque cito exuent (ex luctu ad vestitum redibunt)!

— Oh! fatum meum vere est hoc, ut miserrima quaeque sustineam. — Haec mihi nascenti lex dicta est, ut amarissimam fortunam experiar. — Ea videor conditione natus, ut nihil boni videam in hac vita mea (ut omne malum subeam; perferam; sufferam; patiar).

Ego autem in infelicitate sum constitutus. — Afflita sum fortuna. — Miserae conditionis profecto sum. — Omnibus malis affligor (omnibus miseriis opprimor; omnibus infortuniis vexor). — Meae rationes (fortunae) loco pessimo sunt. — Fortuna mihi gravis (adversa; infesta) semper fuit et est.

(Ad proximum numerum).

FORFEX.

EPISTOLARE SOCIORUM COMMERCII

Andreas Haberl, Iacobo Tasset, viro clarissimo, s. d.¹

Ego sic fere te stilo cerussato in schedula iussisse describere:

Lugdunum: quartae triginta septem;

Lugduno: quintae duodecim;

Divonem: post meridiem, decimae viginti duabus;

Divone: viginti tribus;

Metem: mane nonae duodeviginti;

Inde: decimae duabus,

Parebrugas ipso meridie, hora duodecima

Sexagesimam horae partem dicemusne « minutam » an simpliciter sexagesimam? Et huius partem sexagesimam « secundam » ne, an scripulum, an aliud quidpiam? Num te latere potest in istis temporibus nominandis linguas hodiernas multo Latina esse cum breviores tum faciliores? Memento me voluisse paululum tecum, considentem in exedra fructum percipere Latinitatis; itaque discipulum venisse ad magistrum, a quo disserem appellare, quae ante oculos versarentur diebus singulis. Reddenda igitur fuit formula istorum temporum huic accommodata aetati brevitati itinerariae. An non totae indicum paginae, totaeque itinerum tabulae in aedificiis stationariis suspensae opulentur numeris? Dic igitur, patientur ne aures tuae me ita, ut positum supra vides, recitantem, ut dicam: Lugdunum quartae triginta septem? Hoc si plene proferas, sic sonet: Curruum agmen veniet, vel: tu venies Lugdunum exactis horae quartae sexagesimis, vel minutis, triginta septem. Istinc proficisceris hora 4.12, hoc est: quinta duodecim.

Interroga me, quota sit. Sit: 5.21 h. Audies a me: « Sextae viginti una », ut intelligas horae sextae iam abesse, iam exactas esse, viginti minutis, vel, si mavis, sexagesimas, et unam. Aperi, quaeso, tuam de hac nomenclatione sententiam, non numeratis ut ita dicam syllabis, quemadmodum in responsione fecisse videaris, sed paulo copiosius, ut fere magister studioso faciat discipulo.

Pulchrene derivata *diga* est? Cuius vocis te scire incunabula mirabar. Hoc ne tibi mecum convenit aliquando istius generis vocabula, quibus res novas Latino vocemus, edenda esse in exedra?

Postremo, quod monitum me voluisti semihoralem itineris cessationem Lugduni faciendam idoneam esse ad corpus potu

¹ Cfr. fasc. sup. mens. Apr.

1 Cfr. fasc. mens Aprilis, pag. 63.

ciboque curandum tibi persuade tam angusto spatio me nullo pacto audere relinquere currum, veritum, ut occupetur ab alio locus, ipse postea stem ad senestram, id quod etiam officiat varici. Frustra etiam lixae, qui currus praeterbitare solent, panes clamabunt et pocula, farcimina et lardi frusta et cupedia: nihil emam, in via ferrea ieunio iniqua quadam corporis adfectione beatior. Habes.

Kal. Maiis. St-Wendel (Saar).



PRO IUNIORIBUS

De primo bello Punico, quod gestum est ab anno CCLXIV ad annum CCXLII a. C. n.¹

c) Bellum ab anno CCLXIV ad annum CCLVI geritur in Sicilia.

Quidam Appii Claudi Caudicis, Romanorum consulis, legatus, quem fretum tracieisset incolumis, praesidium Carthaginense, quod Hanno, Poenorum dux, in urbe Messana collocaverat, duce capto expulit. Postea, quem Carthaginenses cum Hierone, Syracusanorum tyranno, Messanam oppugnare coepissent, Appius consul ipse noctu freto transmisso oppugnatorum exercitus reppulit. Hoc factum est anno CCLXIV.

Postero anno, quem plurimae Siciliae urbes transirent ad Romanos, etiam Hiero pacem et amicitiam fecit. Itaque Romani in ipsa hostium terra sibi fecerunt socium, quod illi in reliquis bellis tamquam institutum tenebant. Anno CCLXII expugnaverunt Agrigentum. Sed quem viderent ce-

teras se urbes, quae ad occidentem versus in ora insulae positae firmissimis circumdabantur munitionibus, sine navibus expugnare non posse, centum viginti naves longas aedificauit, penteres tere, hoc est quinum transtrorum naves, quibus C. Duilius, adhibitis etiam harpagonibus, anno CCLX ad Mylas, quod oppidum est in septentrionali insulae littore, magnam reportavit victoram. Victori, ut pro merito tribueretur laus, erecta est columna navium captarum rostris ornata, columnam rostrata, quae dicitur, cuius exstat exemplum imperatorum temporibus consecutum.

d) Bellum annis CCLVI et CCLV geritur in Africa.

Romani, quem etiam post illam pugnam navalem bellum anceps duceretur in Sicilia, consilium ceperunt Carthaginenses in ipsorum terra aggredi. Aucto igitur numero navium, cum cccxxx navibus longis a Sicilia in Africam mittunt M. Atilium Regulum cos., qui, postquam ad Ecnomum, quod est Siciliae meridiana promontorium, cccl Carthaginensium vela vicit, ad Clupeam oppidum appulit, quod est in Libyaे litore, non longe a promontorio Mercurii. Illinc in agros diligenter cultos excurrere et Carthaginensium copias repellere et Tunetum, proximam Carthagini urbem, occupare. Sed ad eandem urbem anno CCLV a Carthaginensibus, Spartiatis conductis adiuvantibus Xantippo, Spartiata duce, devictus, vicius que captus est. Pauci ex illo exercitu per venerunt Clupeam, quos ut servarent, Romani celerrime miserunt classem. Haec quem ad promontorium Mercurii Carthaginenses vicisset, Romanos exceptit. Sed ad Siciliae littora omnis tere delecta est hieme.

(Continuabitur).

A. HABERL.

¹ Cfr. fasc. sup.

ANNALES

Genuensis conventus.

Genuensem conventum in superiore recensione nostra reliquimus dum Russi conditionibus sibi datis ad novum regnum suum recognoscendum vehementer obstant. Quum autem nulla compositionis via aperiatur, haec demum ratio inducitur, ut Russicae res intimius per alios populos recognoscantur, dissensionisque resolutio ad conventum alium demandetur, Hagae in urbe congregandum.

Ita quidem Genuensis conventus cluditur, qui tamen inutilis omnino minime evasit. Non enim negligendus est fructus, quattuor supra triginta populos, victores, vicos neutrique parti faventes, congregari primum post tam immane et universale bellum licuisse, atque simul de universorum bono disceptare, immo et pactione sollemni convenire, ut alter alterum populum aggredi haudquaquam posset. Considerandum quoque est Genuensem coetum non ad id factum esse, quod stultitiam vocaveris; nimirum ut populi subitas cuiusque utilitates assequi deberent: oeconomico sub titulo iam ab initio coetus civilis ille apparuit, in quo quidem multum iam fuit si de principiis constituendis actum est, quae normam novae Europae vitae traderent atque imponerent, fidem atque fiduciam inter omnes revocarent, ad rerum productionem et commercia impellent, et ipsam opificum sortem ubique tuitionem facerent. Atqui haec principia, Angliae praesertim et Italiae opera, satis in Genuensi conventu rata et firmata sunt.

Firmatae pariter magisque clarae ad eius exitum apparuere relationes, quae vulgo dicuntur, inter varias civitates ipsamque Germanicam, et statuum illam coacervationem, quam parvorum populorum societatem sive «intelligentiam» nuncuparunt, pariterque et cum Polonia et Romania, et, pro Italii maxime, cum finitima Iugoslavorum gente. Qui Itali immo commercii foedus cum Polonia ferierunt, alia-

que instituere cum Finlandia, Estonia atque Lectonia, ipsoque Sovietorum gubernio.

In sumمام, primi gradus scalarum quae ad ordinis tranquillitatem, idest ad veram pacem, adducant consensi sunt: confidimus omnes, ut brevi reliqui feliciter exsuperentur.

* *

Eucharistici triumphi.

Tacere quidem non possumus de Christianis triumphis, qui Romae, exeunte superiore Maio mense, celebrati sunt ob Eucharisticum internationalem conventum sextum supra vigesimum heic congregatum: ab eius aditiali sessione in Vaticano coram Pontifice habita, ad festa in catacumbis et in amphitheatro Flavio celebrata, et sollemnem illum pompam nondum antea conspectam quae inter ovantem populi immensam multitudinem per horas sex Urbis vias percurrit, nullo dissensio- nis vel minimo eventu impeditam. O uti nam ii sint optatae pacis vere et manifestum signum et pignus!

Kalendas Iuniiis MCMXXII.

POPULICOLA.

VACUI TEMPORIS HORA

Socius noster clarissimus A. Fulconis, qui in confiencia hac rubrica mihi interdum, ut nostis, succurrit, arrepta Maii mensis occasione, **de rosa** capitulum ad me misit, quod ab ignoto auctore exaratum, a miscellanea quadam saeculo XVII edita sese decerpisse affirmat, et est prouti sequitur:

« Quoties humanis obtutibus ad spectaculum suave plaudentibus contemplandam in viridi theatro se dedit rosa matutinae lucis ad radios primitivos, veluti ad faces ante mundi proscenia de more succensas! E foecundis parentis terrae visceribus, quibus adhuc iactis alte radicibus et sparsis undique fibris adhaerescit, in salutarem aeris usuram prodit rosarum geni-

trix planta, generosae sobolis et florulae familiae seriem expositura copiosam. Multiplices ex una caudice rami diffunduntur in virgulata, scabro cortice tecta patulisque sentibus obarmata. Tenuiores inde viridesque surculi sparguntur, quorum internodia frequentes ac teretes saepiunt spinae. Folia quoque geniculatum indidem proseruntur, in oblongum rotunda, tacto aspera, distinguente medium nervo, ac venulis ab eo fluentibus intersecta: in summo vero margine crenis incisa et quasi serrata per ambitum. Surculorum fastigio petiolus imminet sustinens florem, eique subiectum globulum seu capitulum, mordaci lanugine refertum. Calyx inde protuberat, sive folliculus rosae, qui primo conclusus et undique concolor, virentibus ac laciniosis fastigiatur alabastris, et cortice granoso nondum luci maturum cohibet foetum. Mox involucro tumescere et parturiente quadammodo papillato in nympham. Ad extremum pompa colorum penitus patefacta, partaque rosae pulcherrimo nativum in calathum libere ac liberaliter effusum, tota vernantium colorum explicatur ambitio, ardentissimo superne colore profuso, subalbidis inferne unguibus ad calycis umbilicum coactis. Hinc vero ad coronamentum operis, in orbem crebra staminum capillamenta consurgunt, luteis, vel potius aureis apicibus terminata. Sic auro coronatur, quae spinarum consortium amat rosa, illustri dumento, vel spinosum esse aurum, vel aureas demum evadere spinas quae virtutem exacuant, dum exercent.... Verum dat et rosa tragediam, quum unius diei, aut potius breviore spatio, actio eius universa, hoc est vita pulchritudinis eximiae, definiatur; et subita catastrophe tanta contingat in formosissimo flore mutatio, ut pristinae formae vix ulla reliqua sit agnito, quique paulo ante regiam sustineat pro dignitate personam, mox accisis foliis, quasi membris, ad terram consternatus, misere devolvatur, floris cadaver, ventorum ludibrium, calcantium pedum opprobrium. Sic hortorum voluptas tragico claudit exitu veris fugitivi fabulam brevem ».

**

Quoties per alta silentia noctis, aestivo praesertim tempore, raucae voces ex via placidos somnos nostros importune turbaurunt! **Digitorum dimicatio**, antiquissimus populi ludus, qui nonnunquam in rixas et sanguinem cedit, nostri incommodi et molestiae causa fuit; quem quidem effectum non profecto vobis afferet ipsius iudi descriptio, quem Bernerius hisce versibus nobis reliquit:

Ut memores, et digna canas spectacula risu,
Nobile, facta humilis, desine, Musa, melos.
Concine vulgarem vulgari carmine ludum:
Hisce oculis vidi, quae ipsa referre paras.
Ianua cauponae nocte de more patebat;
Qui assiduis gaudent potibus intus erant.
Baiuli at ecce duo: nimius fortasse diei
Defatigatum fecit utrumque labor.
Stant cubito innixi ante fores, dextra ora re-

[gentes]

Dicitur hic TOGNUS, dicitur ille PEDER.
Incipiunt intus plures sine lege bibentes:
Excitat exemplum hoc baiulo utrique sitim.
Tunc Peder in socium sua lumina vertit, et
Inquit:
— Vini mensuram ludere, Togne, placet?
— Approbo — respondet socius — ludamus —
[et illam,

Ut vino replet capo, repente capit.
— Hunc, qui fit digitis projectis, eligo ludum:
Puncta prius veniens ad tria, victor erit.
Protinus ergo ambo calcant in fronte galerum:
Extollit clausam lusor uterque manum.
Inde cito extensis digitis hunc vibrat in i.tum;
Utraque descendit dextra vibrata simul.
Quem digitii conflent numerum praedicere
[curat

Quisquis et elato murmure vocis ait:
— Quatuor! Octo! Novem! Septem! Tria! Sex!
[Duo! Quinque!

Augetur semper vox repetita magis.
Si quis habet numerum, digitum tunc erigit
[unum,
Nam digitii erecti puncta notata docent.
Est unus tandem victor; qui vincitur ergo
Et mordit labia, et turpia verba canit.
Interea vini mensuram capo propinat,
Et calicem hunc victor laetus in ore capit.

Atlabia impatiens mensurae approximat alter;
Murmur fit vini in gutture. Victor ait:
— Ah! quid, Togne, facis? Vinum mihi, quaeso,
[relinque:
Desine, siste, audi, sitque bibisse satis.
Ast is, quem rabidum fecit iactura, repente
Absorbet totum, verba nec ulla iuvant.
Tunc ait ille: — Vorax, nunquam saturabile

[corpus,

Helluo! Te vinum iugulet: ergo mihi haec.
Obiurgant verbis, sibi dant responsa vicissim:
— Vae tibi, Togne, sile! — Desine plura,

[Peder.

Verbis verba addunt, quaedam et vocabula
[dicunt,

Quae castas aures laedere dicta solent.
Inde manum in pugnum contractum vibrat

[uterque,

Alter et alterius percudit ora ferox.
Quilibet ast oculos socio contundere tentat;
Dirigit ictus ergo vibrata manus.

En caupo, en aliis accidunt; en voce minaci

Exclamat omnes: — Sistite Togne, Peder.

At frustra haec fiunt; ergo seiungere tentant;

Hunc capiunt, illum retro repente trahunt.

Impete sed facto, reddit ad certamen uterque:

En replicant ictus; en mage pugna ferox.
At robur tandem multorum dividet ambos,

Queis nunquam ad pugnam posse redire

[datur.

Ergo divisi sistunt: ex ore frequentem

Emittunt halitum; palpitat ipse sinus.

Confusi apparent crines, oculique tumentes;

Alterius fluit e naribus ecce crux.

Alter humi evulsos sibi crines cernit; uterque

Damna videns socii, flet sua damna minus.

Adstantes blandis verbis compescere tentant

Horum animos, addunt, multiplicantque

[preces.

Proponunt pacem: hi renunt; sed denique

[parent

Illorum monitis, consiliumque probant.

Fert caupo vinum facta pro pace bibendum,

Oscula dant ori sordida, et inde bibunt.

Hoc nos eventu quam plura docemur! Et hor-

[ret

Musa loqui; at dicet, quippe silere nequit.

Ne secum pugnant homines, neu corpora lae-

[dant,

Quilibet accedit; quisque paratus adest.

Et bene; nam pietas opus hoc humana reponit,
[scit,
Musaque commendat, sed meliora petit.
Tot sunt errantes, non corpus vile, sed ipsam
Laudentes animam. Crimina saepe patent.
Quis tunc e sociis, quis corrigit, adiuvat illos?
Quisnam iterum curat conciliare Deo?
Nemo equidem, at potius peccanti plauditur...
[Eheu!
Quis non horrescat? Territa Musa silet.

Iocosa

Tuccii pater non minus eruditus alacrisque ingenii est vir, quam filius. Huic enim interroganti quidnam opus *posthumum* significaret, sublime ille:

— O barde! posthumum dicitur opus,
quod auctor post mortem suam praelo committit!

Tuccius, sua vice, rogatus an litterarum saltem ordinem cognoscat:
— Hercle, dubitas? — cachinnans respondit.

— Quae igitur littera a litteram sequitur?
— Fi! Aliae omnes.

Aenigmata

I.

Vox eadem magnam frugum designo parentem,

Quae gremio varias prodiga fundit opes.
Vox eadem signo civem, qui natus Athenis
Re vera felix, teste Solone, fuit.

II.

(Consonae permutatio).

R urbs tusca fui, Romae quae sacra recepi;
D comitor rixas saeque bella sequor.

Aenigmata in superiore fasciculo proposita his respondent: 1) *Mane*; 2) *Sal*, *Sol*.

IOSFOR.

LEO IV

ACTIO DRAMATICA I. B. FRANCESIA.

LEO. Sic insolenter nos ad arma provocant
Ad ipsos Vandalo potentes Africæ
Complures litteras tentavi mittere.
Illis in oris ut contenti colerent,
Darent et populis iura liberrime...
Ab urbe Roma se abstinerent dummodo.
Sed inhiant Romam, suas divitias,
Torques et vestes, pretiosas statuas...
Semper Carthago contra Romam posita!

(*Hic exaudiuntur voces populi clamitantis:*)
» Da panem, Pater, da, laboramus fame,
Et nos et filii inedia consumimur! »

LEO. ¹ Potest quis audiens temperare a lacri-
[mis?]

En Romæ filii, nepotes consulum,
Olim qui mundum terruerunt ensibus.
Nunc longe pressi conficiuntur fame!
Sciat Caesar noster est qui in dubiis
Suam quot premunt Romam nunc mi-

[seriae;

Caput quot mundi infortuniis proci-
[dat! ...]

Meis pro viribus succurram, filii!
Feram vobis patris illico munera.

(*Magna advocantium turba:*)

« Pater, Pater! Da robur! »

LEO. Vobis auxilium!
Adsunt matronae vestitae molliter,
Erant heri domi rerum ditissimæ,
Carent nunc, proh dolor! rebus neces-

[sariis!]

Enim mox hostes, nullo cum periculo,
Urbem, thesauris diffluentem plurimis,
Depopulantur! Et quot caedes undique,
Quot civium corpora straverunt in viis,

¹ Ad populum versus.

² Observans.

Quot matronarum, suis cum filiis!
Et ipsi spoliis opimis obruti,
Laeti tulerunt juvenes ad littora
Aptos ad arma, lacrimantes irrito.
Oh! fortunati vident qui nec lacrimas
Suarum matrum quae pascuntur lu-

[ctibus!]

Et ipsas aureas tulerunt statuas
Ad naves Barbarum pulsas ad Tiberim,
Ad flumen olim viderat quod antea
Suas cohortes ductas a consulibus,
In omnium late gentium perniciem!
Quae magna nobis ingruit calamitas!
Non ullam noscunt pietatem Barbari,
Modo quod possit pretiosius rapi.
Rapit quis armillas, torques, monilia,
Et ille gladios, coronas, specula,
Viaeque fletu plenæ sunt, clamoribus,
Et ipsis donis quae disperdunt Barbari.
Miser, ne templa diruant vix obtinui!

THEO. Ut essem urbi salus nunc fidissima,
Plagis pulcherrimi medela corporis,
Dedit nobis Deus, narrabunt posteri,
Romam, quae populos omnes compe-

[scuit,

Nudatam purpura vidisse et querulam,
Passis et crinibus, discissam vestibus,
Hac illac errantem per urbem squalli-

[dam,

In te respicere et quaeritare auxilium.
Solaris, mittis placidas epistolas,
Rogas, pecunia captivos vindicas,
Et ipsis Barbaros ad pacem provocas!

(*Ad proximum numorum.*)

Dr. JOSEPHUS FORNARI, Sponsor.

ROMAE. - TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.